

Alp

11

10
Htg

29

D. O. M. A.
DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM SECUNDA,
DE
ENTE ET ATTRIBUTIS EIUS,
IN GENERE.

Quam
Approbante Amplissimo Collegio Philosophico
in celeberrima ACADEMIA WITTEBERGENSI,

Examinandam proponunt

PRÆSES
M. JOHANNES MICHAELIS
Wittebergensis,

RESPONDENS
VALENTINUS GRUNDMANNUS
Schildâ-Misnicus.

*Habebitur die 27. Januarij, horis 8
loco consuetis.*

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni, Anno 1621.



VIRIS

Amplissimis, Consultiss: virtute, auctoritate, multarumq; rerum usu eminentissimis,

Dn. CONSULIBUS,

**Et reliquis inclytæ Reipub. quæ est TORGÆ,
Senatoribus, meritissimis.**

NEC NON

*Reverendâ dignitate, Pietate religiosa & doctrina
orthodoxa, omniq; virtutum genere præstan-
tissimis Viris,*

Dn. M. JOHANNI RICHTER

Ecclesiæ Torgensis Archidiacono,

Dn. M. SIGISMUNDO BADEHORN

Dn. M. GEORGIO GLAUCHIO

Ejusdem Ecclesiæ Ministris & Diaconis vigilantissimis,

*Mæcenatibus, Fautoribus & Promotoribus
suis æternùm honorandis*

γύμνασμα hoc Metaphysicum.

IN

Novi anni ξένιον

Studiorum σύμβολον

Debitæ gratitudinis & observantiæ τεκμήριον

Offert & consecrat

VALENTINUS GRUNDMANNUS

Schildensis Respond.



D. O. M. A.

DISPUTATIO II.

De

ENTE ET ATTRIBUTIS

EJUS, IN GENERE.

Thesis I.



Ontemplati sumus, prima in Disp: *Continuatio.*
 Naturam & constitutionem Metaphysi-
 cæ, ibique nobis spes fuit facta, quid in se-
 quentibus Disp: expectandum sit, specu-
 latio nempe *entis ut ens est, & eorum quæ ei*
per se insunt, passionum & affectionum, specie-
rum deniq; ipsius Entis, usque ad ipsa individua
 descendendo, nunc Deo prosperante, res
 promissa est aggredienda, initio facto à *Generali contemplatione En-*
tis in communi sua natura ac ratione, quatenus genus quoddam
 est latissimè patens, unde emerget *pars prima, & ab universalibus*
 ejus affectionibus in *genere, quæ constituent partem alteram hujus*
 Disputationis.

II. De Ente isto ab omnibus particularibus Entibus præciso
 & abstracto in parte prima, hæc sunt inquirenda. 1. *Ejus Definitio.*
 2. *Divisio.* 3. *Conceptus.* 4. *Modus prædicandi* de Entibus inferioribus
 Substantia & Accidente, Ente Finito & Infinito.

III. Quod definitur est *Ens*, cujus *ετυμολογία, συνωνυμία &*
ὁμωνυμία, paucis prius est indicanda. Ejus etymon censetur ver-
 bum substantivum *sum*, cujus est participium præsens, apud ora-
 tores & puros Latinos non ita quidem in usu à Philosophis tamen
 ut responderet Græco *ὄν*, introductum, qui usus invaluit, quia

Pars prima.
 1. *Etymon*
Entis.



commodius vocabulum substitui non potuit, & in colloquiis ac scriptis Philosophicis tantum adhibetur, prætereaque ut cæteræ facultates suos habent terminos, & propterea non reprehenduntur, merito ut leve eorum iudicium explodimus, qui audacter hanc vocem Ens, ut & cæteras alias, *hæcæitatem, realitatem, causalitatem, &c.* dente Theonino allatrant & aspernantur.

2. *Synonyma
ejus.*

I V. Entis Synonyma sunt. *Res & Aliquid*, quæ Avicenna & multi alij inter Transcendentia retulerunt, ut inter se & ab ente distinctissima, unde sex fecerunt *Transcendentia Ens, Unum, Verum, Bonum, Res & Aliquid*. Nos autem quatuor retinemus priora, reliqua Entis Synonyma esse, eandemque naturam cum Ente explicare dicimus. Nam *Res* ut illi dicunt, significat essentiam præcisam à particularibus entibus, & quæ de quolibet ente reali prædicari potest; Atqui hoc ipsum competit Enti. E. Præter necessitatem multiplicantur Transcendentia. Deinde *Aliquid* non potest esse Transcendens ab Ente distinctum. Vel enim significat idem quod *Aliquid Ens*, habens quidditatem, seu idem quod non est nihil, & hoc pacto est Synonymum Entis. Nam aliquod Ens non potest esse affectio Entis sicuti aliquis homo non potest esse affectio hominis. Vel significat *diversitatem* unius Entis ab alio, ut *Aliquid* dicatur quasi *aliud quid*, & tunc est proprietas Entis cum disjunctione, nempe *diversum* cujus oppositum est *Idem*. Deinde omnia Transcendentia sunt attributa universa, quæ de rebus omnibus prædicantur, quæ enim de una vel altera natura dicuntur, quomodo ea, possunt transcendere omnes limites categoriarum? quomodo possunt de omnibus rebus efferri? Atqui *Aliquid* in posteriori significatione Thomistica, non de omnibus rebus omni tempore prædicatur, ut de DEO antequam crearet creaturas. E.

3. *Ejus Homonyma.*

V. *Ens* bifariam sumitur 1. *Participialiter* & notat actum essendi *exercitum*, seu idem quod existens, sicuti vox vivens participialiter sumpta significat *actum vivendi*, & non essentiam viventis, quæ significatio Entis hic non attenditur. 2. *Nominaliter* & nudam significat essentiam, nullâ factâ mentione an existat actu exercito, an non, quomodo Metaphysicus verè dicit de flore in
hyeme

hyeme, flos est Ens, licet tunc non existat, sed si vel aliquando fuerit, vel adhuc sit in suis causis, in potentia arboris, fruticis &c. quo modo vera est propositio Bucephalus est Ens, licet ille equus non amplius existat.

V I. Ens in se consideratum definimus non ut volumus sed ut possumus, imperfecta scilicet definitione; cum enim illud Ens sit summum fastigium, quis ipsi verum genus assignare poterit? & quia Ens de omni re predicatur, diceretur igitur de genere & differentia specifica, jam vero modo ordinario nulla species, vel inferius dicitur de genere, aut differentia sua, vel superiore. Deinde solæ substantiæ perfectè definiri possunt, Ens neque est substantia neque accidens, sed utroque superius, & ab utroque abstractum. Ergo.

V I I. *Ens est illud quod concipitur ab intellectu tanquam notissimum.* I. *Definitio Entis.*
Est primus & ultimus conceptus omnium rerum & omnium animi conceptuum, quo alius simplicior & prior dari nequit unde in scholis *primò cognitum* appellari solet.

I I X. Cùm autem multifariam aliquid cognosci dicatur, non immeritò quaeritur, qua cognitione appelletur primò cognitum. *Quotuplex sit cognitio.*
Vulgò cognitio dispescitur in *Potentialem*, quâ species in mente existit, non autem intelligitur res per eam repræsentata: & *Actualem*, quando intellectus actu intelligit. Hanc vicissim dividunt in *confusam* ubi res obiter & secundum quid intelligitur; & *distinctam*, ubi res objecta plenariè accuratè & secundum omnes essentielles partes cognoscitur, quæ si est rei simplicis iterum subdividitur in *Originalem*, quâ res nunquam cognita, primò apprehenditur; & *Habitualem* quâ cognitio prima rei, repetitur. *Ens* itaque dicitur *primò cognitum*, quod de *actuali*, *confusa* & *originali* cognitione accipi debet.

I X. Quando Ens primò cognitum appellamus, segregamus nos à *Timpleri* opinione, qui adhuc ulterius procedit & tria genera communiora Ente, commentus est, videlicet *Intelligibile*, *aliquid*, & *aliquid positivum*. Sed frustra multiplicantur genera ubi unum adæquatè recurrit cum altero, & ubi species quæ dividitur in genus & differentiam, & de ea predicatur, exempli gratia, quando

Opinio Timpleri ejusq; confutatio.

privationem & aliquid positivum facit species oppositas & aliquid, tunc illud aliquid ingreditur illam differentiam, positivum esse, & de ea in quid prædicatur, jam vero nullum genus de sua differentia divisiva prædicatur. F.

Deinde intelligibile, & aliquid tantum abest, ut sint genera Ente superiora, ut potius vel æquè latè pateant, ejusque sint Synonyma vel planè sint falsa, de qua re videatur Clariss: Dn: Jac: Mart: Ex: 3. Th: 4. p. 52. & seq.

I I. Divisio
Entis.

Prima I.
Ens complexum.
Incomplexum.

X. Explicatà definitione Entis proximum est ut ejus divisiones breviter proponamus. Ens igitur dividi potest 1. in Incomplexum & Complexum. Illud est quod unico constat termino & simplici conceptu, & solet appellari Incomplexum voce & significatione simul, & tale Ens, ad quod omnium simplicium *νοημάτων* summa redit. Hoc est quod fit ex compositione vel divisione Intellectus, seu affirmatione & negatione, & est integra prædicatio & dicitur complexum re & voce simul.

I I.
Ens Rationis.

quod l. 3. q. 1.
art. 1.

l. 6. Met. q. ult

XI. Ens incomplexum vel est *rationis*, vel *reale*. Hæc divisio proposita fuit ab Aristotele 6. Metaph: c. 2. Ens rationis est quod suum esse habet per cogitationem & operationem intellectus, qua cessante ipsum quoque cessat, sequiturque rem mente conceptam per operationem Intellectus, ut quando concipitur equus & ita objectivè inhæret intellectui, tum per intellectus operationem consequitur Ens rationis, species enim seu idea ab hoc equo singulari abstrahitur, & quæ aliis quoque equis singularibus competit dicit esse universale, & facit speciem, quæ de individuo in quid dicatur, Bucephalus est equus, ubi equus est species tantum cogitante intellectu, quo cessante, cessat ratio speciei. Dicimus autem per cogitationem intellectus, ne quis censeat ipsam actionem intelligendi, & verbum mentis per intellectionem productum esse Ens rationis, quod docuit Herveus. Nam quæ continentur in quodam prædicamento, sunt Entia rei, uti per se patet: Sed actio intelligendi & species in mente sunt in prædicamento qualitatis. E. Dicimus 2. Ens rationis esse suum habere per intellectum, non in intellectu subjectivè, quia inhæsiō in subjecto est proprietas accidentis rei. Ens autem rationis nil est rei. E. non inhæret subjectivè in intellectu. Dicimus 3. esse suum habere, ut discedamus à *Suessano* qui tradidit, Ens

Ens rationis esse nihil. Nihil enim nullum habet fundamentum in rebus; atqui Ens rationis fundamentum tale habet E. probatur Assumptio, genus enim & species fundantur in natura hominis & animalis, alias planè essent figmenta & res falsæ.

XII. *Ens reale est quod habet esse à parte rei extra operationem intellectus*, ut omnia entia realia externa quale est ursus, vel producitur à causa reali, & alicubi est tanquam in subjecto, ut entia realia in intellectu qualia sunt conceptus primi, habitus scientifici, &c. *Ens reale.*

XIII. *Ens reale iterum dividitur, in Ens per se & per accidens.* *Ens per se.* Præterea *Ens per se* aliud est, secundum *essentiam*; quod vel est omnino *simplex* omnisq; compositionis expers, ut DEUS, vel *compositum* quarum partes quædam se habent ut potentia, quædam ut actus in eadem categoria docente 8. Met. c. 6. t. 16. ut homo, cælum &c. Ens quod dicitur *per se secundum causam*, est omnis causa per se, quæ juxta propriam rationem producit effectum, ut non homo sed musicus est causa per se canendi. *Ens per accidens* vel est secundum *essentiam* tale quod ex diversis categoriis est conflatum, diciturque alias *Ens aggregatum*, & vel combinatur subjectum cum accidente, ut homo albus, vel accidens cum subjecto, ut albus homo, vel accidens cum accidente ut album musicum, & hoc Ens per accidens opponitur Enti per se. Præter illud datur aliud cujus partes quidem sunt in una categoria, sed inter se carent unionem essentiali, & est oppositum *uni per se*, ut *Respublica*: vel est secundum *causam*, idque vel ex parte effectus, quod rarò & contingenter fit, ut fossio terræ inventi thesauri; vel ex parte causæ, ut Musicus est causa per accidens statuæ. Illud opponitur necessario, hoc causæ per se. *Ens per accidens.*

XIV. Ens reale per se, quod tantum est subjectum Metaphysicæ, dividitur in *positivum quod essentiam veram habet*, & *privativum, quod est negatio essentia in subjecto habili*.

XV. *Privationes dicimus esse vera Entia realia* quia definitio entis realis ipsis competit, Qui negant eas esse Entia realia, utuntur hoc i. præcipuè fundamento: *Quod veram & realem essentiam non habet, sed potius eam removet, illud non est Ens; Atqui privatio est talis.* E. Scheibl. in Top. c. 20. p. m. 493. Resp. i. Propositionem negamus, quæ *De Ente per se Privativo. Privatio an sit Ens reale.*

quæ fuisset probanda; non enim habere essentiam realem est definitio entis realis, sed entis realis positivi, proinde perperam negatur genus Ens reale per se de privatione, eò quod essentiam habere quod est alterius conspiciendi differentia, quasi de ea negetur; non enim sequitur homo qui est rationalis est animal, ergo equus qui est irrationalis non est animal. 2. Deinde omnem essentiam privationibus adimere nemo potest: nam in iis distinguenda sunt *materiale & formale*, exempli gratia in cæcitate visus, materiale est oculus, formale virtus videndi, cæcitas igitur erit Ens, respectu organi oculi, non Ens respectu formalis. 3. Propositionem dextrè intellectam concedimus, de Ente scilicet simpliciter & perfectè tali, quale non est privatio, sed ejusmodi *ens simpliciter* non æquè latè patet Enti reali, verum eò est angustius, datur enim Ens quodammodo tale, quod respectu non Entis seu nihili, & Entis rationis, est Ens, respectu verò Entis simpliciter, est Ens quodammodo & non Ens, sicuti materia prima respectu Entium perfectorum vocatur non Ens, non tamen non Ens simpliciter, *inter Ens enim simpliciter, & non Ens simpliciter, privatio est medium quoddam.* 4. Privatio aut est Ens reale aut non Ens, tertium non datur, quia sunt contradictoria, contradictio autem est oppositio fortissima; posterius autem dici nequit. E. est Ens reale.

XVI, 2. Ita argumentatur Scheibl: *ibid: p.m. 494. num. 35. Si privationes essent Entia realia, tunc omnes privationes essent talia. Sed id non est. E. Assumptionem probat, quia nulla sit essentia realis nuditatis silentij, &c.*

Resp. Negamus connexionem propositionis. Duplex enim est privatio: vel enim est *rei naturalis*, quando id abest quod subiecto naturaliter debebat adesse, ut surditas, vel est, *rei extrinsecus adherentis & circumstantis*, quando id abest, quod circumstare potest, ut nuditas paupertas &c. Illa *primariò* est privatio & sic quoque Ens reale: Hæc vero *secundariò*, & minus habet entitatis, unde patet quod non colligere liceat à privatione rei naturalis, ad privationem rei adherentis. 2. Probatio assumptionis est nulla, quia non est de essentia ita loquendo Entis realis, habere essentiam realem, ut supra quoque dictum fuit.

Privatio quod
duplex.

XVII. Privationis multas afferunt divisiones Metaphysici.
Alia

Alia enim est *Logica*, absentia habitus in habili subjecto; alia *Physica*, absentia scilicet formæ substantialis in materia. Alia est *Activa* alia *Passiva*, Alia est *totalis*, alia *partialis*, alia *potentia*, alia *Actus*, à partiali & quæ fit secundum actum privatione datur regressus qui est ordinarius: à totali autem & quæ fit secundum potentiam, non datur regressus ad habitum scilicet ordinariè & naturaliter, miraculosè autem fieri potest.

XIIX. Sub finem hujus membri monemus divisionem qua Ens dividitur in *incomplexum & complexum*, in *reale & rationis* non esse divisionem *Rei* qua, vel totum universum dividitur in suas species; vel totum integrum partitur in suas partes, vel subjectum in sua accidentia eaque vel propria vel communia; sed *Nominis*, quæ aliàs dici solet *Distinctio*, quæ multæ ejusdem vocis recensentur significationes.

XIX. Contrarium tenet *Didacus Masius. l.1. Met: 6.7. p.48* Ens non, homonymè sed analogicè dici de Ente rei & orationis, analogiâ attributionis & proportionis. Argumentum tale pro sententia sua proponit. *Objectam cujuslibet potentia debet esse unum aliqua unitate; quia potentia desumunt naturam ab objectis suis; sed objectum adequatum intellectus est commune Enti rei & rationis, quia utrumq; intellectus apprehendit. E. Ens commune enti rei & rationis erit unum aliqua unitate, quæ cum non sit Synonymia, erit analogia.*

Resp. 1. Malè colligitur ab unitate potentia intellectiva, ad unitatem objecti, nisi simul addatur quædam restrictio, si enim indeterminate vera esset istiusmodi collectio, posset aliquis facili negotio eadem ratione evincere objectum intellectus unitate numerali esse unum, quia potentia intellectiva esset talis, indeque emergeret Ens reale & rationis esse unum quid numero. 2. Negamus assumptionem; objectum enim intellectus *adequatum* est tantum ens rei non rationis, quod patet ex vulgato canone: Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensibus, jam vero sensibus objicitur tantum Ens reale, non rationis. Deinde quodcunque nullas habet affectiones, omni denique ente vel imperfectissimo, quale est materia prima, imperfectius est, illud objectum adæquatum intellectus esse nequit. Tale est ens rationis. E. Dicimus autem objectum *adequatum* non esse ad differentiam objecti impro-

B

prü

prj quale est ens rationis, per *accidens* enim intelligi, posse non negamus, nempe per *Ens rei*, & ad modum ejus. 3. Si ens rei & rationis essent unum analogia attributionis, utrumque esset objectum *Metaph*: hoc autem est absurdum, uti *Disput*: i. fuit ostensum. E. & prius.

XX. *Ens rationis* est duplex i. *Fictum* quod omnino & totaliter dependet à productione intellectus, ut *Chimæra*, *Sphynx* &c. 2. *Notio secunda*, quæ suum fundamentum habet, in re ipsa ut genus, species, subjectum, *Syllogismus* &c.

VII. Conceptus Entis.

XXI. A divisionibus *Entis* transitum facimus ad membrum tertium ubi de *conceptu* entis erit differendum. Disputant enim hîc *Metaphysici*, num *Ens* concipiatur uno conceptu distincto à conceptu inferiorum entium *substantiæ* & *accidentis*.

Formalis conceptus.

XXII. Annotandum est autem conceptum esse duplicem, *formalem* & *objectivum*. *Formalis* est similitudo secundum actum rei intellectæ, seu est *notio* in mente, mediante, intellectu agente formata, representans objectum externum. *Conceptus* vero *objectivus* est res, quæ intelligitur per conceptum formalem, ut *cælum*, *clementa* & alia. Sic *idea* & *species* urfi in mente formata, dicitur *conceptus formalis*. Ipse autem *ursus* ista specie conceptus dicitur *conceptus objectivus*. Porro *conceptus formalis* quidam est *adequatus*, quidam *inadequatus*, ille rem totam representat, hic vero partem aliquam representandam prætermittit. De utroque conceptu quæritur, num sit unus, & à conceptibus inferiorum entium re & ratione distinctus.

XXIII. Quoad conceptum primum formalem *Entis* dicimus: *Conceptus Entis formalis & adequatus est unus, & re & ratione à conceptibus formalibus inferiorum entium Dei & creaturarum, substantiæ & accidentium præcisus & avulsus*. Assertio ista probatur i. Quæcunq; in aliquo inter se sunt similia, illa habent unum conceptum formalem; entia inferiora conveniunt in ente. E. habent unum conceptum formalem, & per consequens conceptus *Entis* erit *formalis* & unus. 2. Intellectus potest concipere *Ens* esse id quod est, nihil cogitans sitne id quod est, *substantia* vel *accidens*, *Deus* vel *creatura*: sed hic est *conceptus formalis entis*. E. conceptus
forma-

formalis entis reipsa distinguitur à conceptu formali suorum inferiorum.

XXIV. Hæc de conceptu formali. Deinde Ens obtinet unum *Conceptus*
conceptum objectivum non re sed solâ ratione abstractum à conceptibus par- *objectivus.*
ticularium rationum. Hæc assertio probatur 1. Si proprietates quæ-
dam dantur Entis ut Ens est, non ut est substantia vel accidens, se-
quitur communem quoque illis dari rationem & conceptum
objectivum; sed prius est verum. E. & posterius. 2. Subjectum
alicujus disciplinæ habet unum aliquem conceptum objectivum
ad sua inferiora. Sed Ens est subjectum Metaphysicæ. E. Assum-
ptio manifesta est ex præcedente Disp: Propositio confirmatur,
quia subjectum in quavis scientia definitur. Post: c. 1. Ens igitur
quod est subjectum erit definiendum. E. habet unum conceptum
objectivum, quod enim definitur est tale, unde definitio quæ est
oratio explicans rei naturam, est una. 3. Quicumque conceptus rei-
psa distinctus est à conceptibus suorum inferiorum, ille quoque facit
ut res concepta nullo modo rebus inferioribus attribui queat,
quod patet ex conceptu animalis præciso à conceptibus hominis
& bestię, ubi conceptus animalis nullo modo ingreditur conce-
ptum hominis, vel homo non concipitur conceptu animalis, sed
isti conceptus sunt sibi impossibiles. Hoc autem de concepti-
bus entium inferiorum dici nequit, alias sequeretur contemplatâ
substantia juxta propria attributa eam non esse Ens, atque sic ne-
que esse unam, nec veram nec bonam; nam de quo negatur Ens
de eo quoque negari debent proprietates illius. E. conceptus en-
tis objectivus re non differt à conceptibus inferiorum entium.

XXV. In hac ipsa materia ulterius 4. quærere solent Meta- *I V. Modus*
physici, qualisnam sit ille conceptus Entis ab omnibus particula- *prædicandi*
ribus Entibus tali vel tali præcisus, num sit *equivocus, an univocus, an* *Entis de in-*
vero analogicus? Hæc quæstio cum sit cognata cum illa qua in par- *ferioribus*
te speciali Metaph: quæritur de speciebus entis substantia & ac- *Entibus.*
cidente, quomodo se habeant ad Ens, & qualis sit ista divisio, inde
melius intelligi potest, proinde paucis nos huc expedire volu-
mus, ne actum agere cogamur, copiosior enim decisio ex parte
speciali peti potest, quò etiam potissimum spectat.

B 2

XXVI.



XXVI. Dicimus itaque 1. *Conceptus Entis realis, ad inferiora entia realia relatus, non est æquivocus.* Nam æquivoca nulla habent prædicata essentialia, propter suam confusionem & indistinctionem; Atqui Ens habet prædicata essentialia, quæ deinde quoque de inferioribus rationibus dicuntur, ut realiter existere, esse *verum, bonum, unum, causam, actum vel potentiam &c.* E. 2. *Conceptus Entis non est univocus, ratio, quia enti non potest aliquid addi quasi existens extraneum à natura ejus, per modum, quo differentia additur generi, eò, quod quælibet res etiam ea quæ superadditur essentialiter ens sit, de nulla autem differentia juxta canonem Logicum prædicatur genus quod coarctare debet.* 3. *Conceptus Entis est analogicus, analogiâ attributionis, ubi nomen est commune & secundum illud nomen ratio significat a partim eadem, partim diversa: Eadem secundum terminum, & principalem significationem: Diversa vero juxta diversam habitudinem ad illam.* Hoc modo conceptus Entis est analogicus suis speciebus analogicis, substantiæ & accidentibus, isti secundum propriam rationem, his vero per *habitudinem* ad substantiam cui in hærent & inexistunt, unde etiam vocantur Entis Ens. Sic ratio entitatis in divisione Entis in infinitum & finitum reperitur *primario* in Deo, in creaturis vero per *habitudinem* ad eum, quia per eum acceperunt, & per eum habent conservatam suam entitatem.

XXVII. Unde patet substantiam & accidens *ut sic*, non esse Entia composita ex *conceptibus essentialiter differentibus*, Entis latè sumti, tanquam generis, & differentiæ specificæ quod sit talis vel talis, puta per se subsistens &c. Sed esse Entia æquè simplicia & ab ente differre, ut conceptum *angustiore* & *inferiorem* à conceptu *latiori & superiori*. Sic quando Ens dividitur in Deum & creaturas non est dicendum ens verum ac propriè dictum genus esse DEI, sicut animal hominis & equi, quia sequeretur Deum esse *dependentem*, species enim dependet à genere & differentia specificæ, sequeretur eum esse *compositum* ex actu & potentia, genus enim est quasi potentia quæ ad hanc vel illam speciem se æqualiter habet, & ut limitetur ad unam tantum opus habet differentiâ quasi actu determinante illam, unde etiam suprâ diximus conceptum entis *objectivum*, à conceptibus *objectivis inferiorum entium*, quale
etiam

etiam est D E U S respectu Entis quod est transcendens, saltem ratione esse abstractum, ne dicendo, realiter esse præcisum, compositionem faciamus in D E O, ubi enim duo conceptus sunt obiectivi realiter distincti, ibi quoque est compositio, quam absit in Deo statuamus. *Tantum de Ente in communi & abstracta sua natura.*

XXIIX. Sequitur jam altera Pars Disp: hujus contemplatio *Attributorum & affectionum entis simplicium & unitarum*, quæ aliàs dici solent, modi entis interni, transcendentes cum ipso ente omnes categorias, & entia inferiora, quarum generalis tractatio hisce tribus constabit membris. 1. erit dicendum *Quid sint istæ affectiones*, 2. *Quot sint*, & 3. *quomodo differant tum à suo subjecto Ente videlicet, tum quoque inter se invicem.*

XXIX. In quacunque scientia non tantum *subjectum* ut sic, quidnam illud sit explicatur, verum etiam *affectiones & passiones* ejus traduntur, unde & affectiones suo modo spectant ad *subjectum disciplinæ*, per *habitudinem* scilicet ad *subjectum* unde fluunt, & cum quo recipiuntur, imò *speculatio* *subjecti* esset imperfecta, omissis ipsius passionibus. Cùm igitur *Ens*, quæ tale *subjectum* *Metaph*: illud quæ est generale & communissimum in parte generali, habebit quoque affectiones suas generales & reciprocas; quæ vero est speciale in parte speciali, specialiores quoque habebit affectiones.

XXX. Affectiones istæ sunt vel *simplices*, quæ solitariè sumtæ *Affectiones sunt duplices.* *Unum, Verum, Bonum*; vel *conjunctæ*, quæ non seorsim sed conjunctim per copulationem *particulæ disjunctivæ, aut vel*, cum ente convertuntur, ita ut si alterum earum adsit abesse alteram necesse sit, quia opposita in eodem oppositionis genere in eodem *subjecto* simul esse nequeunt. Hæ iterum sunt duplices; vel enim *immediate* *Ens sequuntur*, ut esse actu vel potentia &c. vel *mediate* *affectione simplici*, ut mediante *Uno*, esse *finitum vel infinitum, idem vel diversum.*

XXXI. Nos hîc prius agemus de affectionibus unitis & simplicibus quia omne simplex prius est conjuncto, sic prius homo consideratur ut risibilis, quæ affectio convertitur cum omni homine, quàm ut magnus vel parvus, albus & niger. *Quid autem sint*

sint istæ affectiones unitæ, res explicatu est difficilis. Si enim dicatur esse vera *entia*, tunc subjectum, ens, prædicabitur de sua proprietate, quod est absurdum, si autem appellare quis vellet nihil & non Ens tum vel nomen affectionis eum refutabit, cum affectio entis realis, realis quoque esse debeat, quia ab ente, nil nisi reale, quid oriri queat. Quid igitur jam erit dicendum? an tertium quid inter Ens & nihil negativum dabitur? non facile concedent Philosophi, quia contradictoria quale Ens & nihil non admittunt medium, quia inter affirmationem & negationem non datur medium. Quidam docent Ens illud cujus istæ sint affectiones, strictè sumi, quatenus est contradistinctum à modis, atque tunc istas affectiones manere Entia, quatenus Ens opponitur non Enti, Hanc doctrinam impugnamus ita: quàm latè se extendit subjectum, tam latè quoque se extendunt ejus affectiones. Sed subjectum istarum affectionum comprehendit *omnia vtz.*, ea etiam quæ non Enti sunt opposita, sic enim constituit subjectum Metaphysicæ, de quo dicuntur; deinde illæ sunt universalissimæ affectiones. E. quoq; affectiones ei Enti competunt, adeoq; vacillabit ista distinctio. Quid igitur erunt. Dicimus 1. *Proprietates entis non sunt proprietates rei*, quia hæ à subjecto differunt reipsa & ab eo per quandam actionem fluunt. 2. *Proprietates entis sunt attributa essentialia & proprietates demonstrabiles*, quæ tamen nil positivi ac realis ex natura rei distinctum enti superaddant, nisi negationem quandam & respectum seu habitudinem transcendentalem ad aliud. Sic appetitus & potentia in materia prima, sunt ejus proprietas, non rei, sed demonstrabilis saltem, & quæ ita, licet verè à nobis concipitur.

II.
Quot sint.

XXXII. Numerantur autem affectiones à Metaphysicis tres, *Unum, nempe, Verum & Bonum*. Nam quodlibet Ens duobus modis spectari potest, vel ut est *in se*, & sic dicitur unum, quia unum, nihil est aliud, quàm quod in se est in divisum; vel quatenus referatur ad Deum, idque vel tanquam ad *exemplar*, & sic dicitur verum, quia veritas est conformitas cum exemplaribus in intellectu divino; vel tanquam ad *finem*, & sic dicitur bonum, quia bonitas rei est, quæ destinatur in finem.

XXXIII.

XXXIII. Jam ultimò restat inquirendum quomodo istæ III.
proprietates tùm ab ente, tùm quoque inter se differant. Diffe- Quomodo dif-
rentiam quandam esse concedendam nemo negabit, qualis au- ferant ab En-
tem sit, res est anceps, nos progrediemur ad ejus investigationem te ejus affe-
viâ divisivâ & per remotionem quarundam distinctionum. Di- ctiones.
stinctio in Scholis Philosophorum traditur triplex, *Realis, Modalis*
& *Rationis*. Afferimus itaque 1. *Proprietates neq; ab ente neq; inter se*
realiter differunt. Nam quæ realiter differunt, distinguuntur per
suas entitates, quod una non sit alia, ut homo & risibilitas, quia
alia essentia est hominis, alia risibilitatis. Sed hoc de proprietati-
bus entis dici nequit, quod peculiare entitates habeant sequere-
tur, n. Ens esse compositum quid accidentale, ex subjecto & affe-
ctionibus propriè ita dictis: Deinde supra fuit ostensum istas affe-
ctiones non esse affectiones rei, id est, aliam entitatem præter sub-
jecti essentiam, obtinentes.

XXXIV. Dicimus secundo: *Distinctio inter Ens & affectiones,*
ut & inter affectiones inter se invicem non est modalis. Ubi enim hæc ibi
quoque necesse esse ut sint modi, affectiones vero entis propriè
non sunt modi. E. Deinde ibi vera quædam est compositio. Ens
autem omnis compositionis est expers. Accedit quod distinctio
modalis quandam distinctionem extra mentem relinquat, qua-
lis non est inter Ens & attributa, neq; inter attributa inter sese.

XXXV. Hinc 3. concludimus. *Proprietates entis differunt ab*
ente & inter sese, ratione, non purâ seu ratiocinante, sed eminente seu
ratione ratiocinatâ. Nam quæ differunt conceptibus obtinentibus
tamen *fundamentum* in re, differunt ratione ratiocinatâ; sed de
ente prius est verum. E. & posterius. Assumptio probatur. Ens e-
nim concipitur sub ratione essentia & *quidditatis realis*. Unum ve-
ro sub ratione *indivisionis* seu entis indivisi. 2. Quæ admittunt
prædicata contradicentia, ad minimum distinguuntur ratione ra-
tiocinatâ: sed attributa entis admittunt prædicata contradic-
toria. E. Assumptio probatur de *Uno* enim dicitur quod in se sit indi-
visum, quod non prædicari potest de *Vero vel Bono*.

XXXVI.

XXXVI. Adversus Conclusionis 3. alteram partem de distinctione rationis ratiocinatæ affectionum inter sese, ita objiciunt quidam: *Quæcumq; referuntur ad animæ facultates reipsâ diversas, ea quoq; inter se realiter differunt, quia facultates distinguuntur per sua objecta. Sed verum refertur ad intellectum, Bonum ad voluntatem, quæ duæ potentia sunt inter se realiter distincta. E. Verum & Bonum sunt realiter distincta.*

Resp. 1. Argumentum hoc si valere deberet concluderet saltem de distinctione reali inter *Bonum & Verum*, omisso *Uno*, de quo tamen non minus controvertitur an realiter differat à *Bono & Vero*. 2. Negatur connexio propositionis, non enim est necesse ut eo modo objecta inter se differant quo differunt facultates. Nam, natura universalis ut homo, animal, est objectum intellectus partibilis, particularis, immersa proprietatibus individuificantibus ut hic homo, constituit objectum intellectus agentis, & tamen duo ista objecta, natura nempe abstracta à conditionibus singularibus, & eisdem implicata non differunt re sed ratione, facultates vero ea apprehendentes realiter. 3. Intellectus & voluntas non intrinsecè distinguuntur per verum & bonum, sed per diversas *habitudines ad hæc objecta*, quæ habitudines sunt inter se reipsâ distinctæ, atque sic efficiunt distinctionem rei in istis facultatibus. Nos hic interim contemplationi de Ente & ejus proprietatibus in genere finem imponimus, ad specialiores *affectionum* Entis properantes, de quibus in sequentibus Disputationibus dicendum erit.

SOLI DEO GLORIA.



LVXXX

1155 - AB 1940

AB: 101940

ULB Halle 3
 002 422 557





Nr. 16 = Handschrift Sb.

Vb 17

Retro ✓







29

D. O. M. A.

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM SECUNDA,

DE

ENTE ET AT-
TRIBUTIS EIUS,

IN GENERE.

Quam

Approbante Amplissimo Collegio Philosophico
in celeberrima ACADEMIA WITTEBERGENSI,

Examinandam proponunt

PRÆSES
M. JOHANNES MICHAELIS
Wittebergensis,

RESPONDENS
VALENTINUS GRUNDMANNUS
Schilda - Misnicus.

*Habebitur die 27. Januarij, horis 5
loco consuetis.*

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni, Anno 1621.